

zu der am 14. und 15. September 1837

www.libtool.com.cn

abzuhaltenden

Öffentlichen Prüfung der Schüler

des .

Königlichen Gymnasiums zu Essen

von

dem Director der Anstalt

Dr. J. A. G a v e l s.

Inhalt:

- 1) Abhandlung von dem Oberlehrer Eadenbach: De alliterationis apud Horatium usu.
- 2) Schulnachrichten von dem Director.

Essen,

gedruckt bei C. D. Bädeker.

www.libtool.com.cn

De alliterationis apud Horatium usu.

De alliteratione sermonis latini quaestionem, olim saepius tractatam, aliquamdiu neglexerunt viri de litteris bene miriti. Meritum ei rei, dignae sane, quae accuratius denuo nostris temporibus tractetur, novum attulisse lumen, Naekio debetur, Viro Clarissimo, qui in commentatione, quam scripsit de hac re *), summo acumine summaque diligentia in ea versatus est, novumque ea quaestione veteres Romanorum poëtas legentibus oblectationis fontem aperuit, quippe qua multarum dictionum vim et elegantiam verius perspicere atque intelligere possimus. Qui primus hanc rem copiosiore disputatione tentaverit, laudat Naekius J. J. Pontanum, qui in dialogo, cui nomen Actius, exemplis, quantum quidem ad Virgilium, satis multis eam explicuerit. Deinde praeter alios nonnullos, qui breviter tantum de ea re egerint, laudat imprimis G. I. Vossium, cuius quae hoc pertinent, ipsi mihi inspicere licuit. Leguntur autem ea in Institutionum Orator. libri V. cap. V, 1, 2 et 3. atque inscribuntur: 1) de Paronomasia; 2) de Ὄμοιοκαταλήξτη; 3) de Parechesi. Tum etiam huc pertinent ea, de quibus agit Instit. Orat. libr. IV. cap. II, 2, 3 et 4. Qui post Naekium hanc quaestionem paullo copiosius tractaverit, mibi quidem nemo innotuit praeter God. Aug. Ben. Wolffium, Professorem Portensem, qui in Prolegomenis ad Plauti Aululariam, quibus solemnia scholae provincialis Portensis Cal. Nov. 1836 indicit, in explicanda ea, quam dico, re versatus est a pag. 36 usque ad finem (pag. 43).

*) cfr. liber, qui inserbitur: Rheinisches Museum für Philologie, III. Jahrgang, 3. Heft, 1829, pag. 324 sq.

Quum vero hi, quos landavi, viri docti in afferendis exemplis in uno fere quisque poëta constiterint, atque ut Pontanus unius fere Virgilii poemata, ita Naekius, quamquam aliis minime neglectis, Plauti tamen imprimis comoedias, Wolffius denique solam Plauti Aululariam spectaverit, Horatii vero vix quisquam uno alterove loco, quantum equidem scio, mentionem fecerit: id ego egi, ut duce imprimis Naekio, magistro dilectissimo, praecpta ab ipso constituta, paucis mutatis, in Horatii quoque poemata adhibere conarer. Neminem enim puto, qui Horatii nonnisi primum primi libri carmen accurate perlegerit, practerisse exempla alliterationis, qualem statuit Naekius: sunt enim illa ibi tam manifesta, neminem ut fallere possint. Sed etiam in reliquis Horatii eclogis in satis multa incidimus alliterationis, quam vocant, exempla. Quare ad demonstrandum id, quod voloit Naekius: „*fines huius rei quam late pateant et quam varie sit per sermonem latinum diffusa allitteratio*“, etiam hac commentatione nonnihil allaturus esse mihi videor.

Iam vero aggredienti mihi eam, quam dico, rem, primum ipsum hoc, quo usus sum, vocabulum *allitteratio*, quid significet, quale sit et quomodo ab aliis similibus distinguendum, mibi antea statuendum erit. Tantum enim abest, ut omnes eodem modo eademque vi eo vocabulo usi sint, ut fere alias alio modo eam explicuerit, alias alio vocabulo in eadem re usus sit. Aptissime fortasse egredior ab ea, quam habet in lingua Germanica vocabulum *allitteratio*, significatione. Ibi allitteratio plerumque vocatur, quam plura continua verba vel paucis interiectis repetita, ab iisdem consonantibus aut ab iisdem syllabis incipiunt. *) Eorum, qui de latini sermonis alliteratione scripserunt, referente Naekio, primus Pontanus hoc vocabulo usus est, qui eam ita definit: „*fit itaque in versu, quoties dictiones continuatae vel binae vel ternae ab iisdem primis consonantibus, mutatis aliquando vocalibus, aut ab iisdem incipiunt syllabis, aut ab iisdem primis vocalibus*“.

Usus est igitur Pontanus hoc vocabulo eadem fere significatione, qua nostrates solent. Nonnunquam eandem vocat *annominationem*, propterea merito vituperatus a Naekio, qui annominationem coniunctam quidem esse cum alliteratione solere, sed non omuem alliterationem cum annominatione coniunctam esse recte contendit. Ipse nisus auctoritate veterum scriptorum annominationem tum demum fieri dicit, quam inter se opponantur verba idem vel simile sonantia, sed significatione ac sensu diversa. Gerh. Io. Vossius plane hoc vocabulo se abstinuit, nisi quod παρονομασίαν a Pontano *alliterationem* vocari refert. Schematum enim, quae dicit, in quibus similitudo spectetur, quatuor assert genera: παρονομασίαν, ὅμοιοπατέλητον, πάρισον, παρήγησιν. **) Παρονομασία (annomination)

*) cfr. e. g. liber, qui inscribitur: Grundzüge einer Theorie des Reimes und der Gleichlänge mit besonderer Rücksicht auf Göthe, von E. Poggen. Ibi p. 2. ita legimus: Alliteration nennt man bekanntlich die Auseinanderfolge solcher Wörter, die gleichlautende Anfangskonsonanten, auch wohl gleiche Anfangssyllben haben, z. B. Fürst und Wolf, Mann und Maus ic.

**) Similia vocat Quintilianus IX. 8. 75 sq. eorumque et ipse quadruplicem rationem esse dicit, paullo illam diversam a Vossiana: πάρισον, ὅμοιοπέλευτον, ὅμοιόπτωτον, λόσκωλον.

ei est, quae aliam efficit sententiam elementi unius pluriumque adiectione, detractione transpositione vel imitatione, e. g.

www.libtool.com.cn

Venies, carissima coniux,

Praeveniesque etiam. Stat.

Quae explicatio una cum allatis exemplis congruit fere cum illa, quam modo protuli, Naekiana. *) Όμοιοκατάληξις est ei, cum voces similiter desinunt eiusque duas statuit species: ὁμοιόπτωτον, similiter cadens, i. e. eosdem casus in nominibus, eadem tempora in verbis requirens, et ὁμοιοτέλευτον, similiter desinens i. e. similem terminationis sonum reddens. Quae species quam plerumque coniunctae esse soleant, vulgo utramque uno eodemque nomine ὁμοιοτέλευτον appellant e. g.

Haec omnia vidi inflammari

Priamo vi vitam evitari.

Iovis aram sanguine turpari. Enn.

Πάροισον Vossius Hermogeni esse dicit, quam idem usurpetur verbum, variatum praepositionibus aut nominibus appositis. Sed hoc nihil esse, nisi paronomasiae speciem, quisque facile intelligit atque ipse iam Vossius significavit. Παρήχησις denique ei est, quam una pluresve syllabae eius vocis, quae antecessit, vel continue vel ex quo post intervallo repetuntur in alia voce, e. g.

Perire me malis malim modis. Plaut.

Commune vocabulum, quod omnia complecteretur, quae ad litterarum similitudinem spectant, veteres omnino non habebant. Primus, qui hoc, quod dixi, vocabulo, usitato illo quidem Pontano atque nostratibus, artioribus vero apud illos finibus circumscripto omnia, quae huc pertinent, comprehendcret, Naekius fuit, V. D. Alliterationem enim vocat ille quamque similitudinem, quae cernitur in eiusdem litterae repetitione eaque in re omnes, qui postea de hac re scribent, eum sine dubio sequentur. Esse enim haec omnia plane unius eiusdemque generis, nos docent etiam carmina quaedam Islandica, in quibus coniuncta ea reperimus. **)

*) Nostrates hoc vocabulo alia etiam utuntur significatione cfr. Poggel l. l. qui ita annominationem definit: Annomination heißt die Verbindung solcher Redetheile mit einander, die denselben Wortstamm haben, z. B. eine Schlacht schlagen, die Stille ward stiller. Sequi videntur, qui ita definiunt, Diomedis auctoritatem, qui et ipse II. 441: fugam fugit, factum facit, pugna pugnata est, refert ad Paronomasiam, ut Naekius commemorat, qui factum facit, tum demum veram paronomasiam esse contendit, si quo legeretur cum acutine, ut actum agere de labore, qui frustra est etc.

**) cfr. Snorri Sturluson's Weltkreis (Heimakringla), übersetzt und erläutert von Dr. Ferd. Wachter. 2. Band. Einl. pag. XVIII: Mit dem Stabreim oder dem bei uns gewöhnlichen waren die Skalden früh bekannt. Doch geben sie den Stabreim deshalb nicht auf. In herrlicher Verbindung sind bestre in Egil's Höfudlausn. pag. XXI: „Eine Palme zu erringen bleibt also immer noch für die deutschen Sänger, eine Palme, welche die isländischen längst errungen haben, nämlich den Stabreim mit dem

Wolffium, qui et ipse Naekium secutus, alliterationem hanc totam rem appellat, miror addidisse: „veteres, quamquam plura nomina erant, plerumque *et puto aptissime eam vocarunt annominationem*, a Graecis, ut alia nomina praeterem, maxime παρήγησις dicta est“, quum iam Naekius disertis verbis *annominationem* dicat nomen *non satis aptum* huic toti rei multoque artioribus esse finibus. Magis respondet illi, quod Naekius voluit, communi et generali vocabulo Graecorum παρήγησις, quamquam et haec, ut antea dictum est, non omnia comprehendit alliterationis genera, quippe quae cernatur tantum in syllabaram, non in singularum quoque litterarum repetitione.

Omnia igitur, quae spectant ad litterarum similitudinem, quum comprehendat Naekius uno alliterationis vocabulo, discernit tamen *simplicem*, quam vocat, *alliterationem*, quae maiorem habet ad percutiendas aures vim, quam alterum artificium atque, ut Wolffii utar verbis, pertinet tantum ad faciliorēm verborum cursum maioremque volubilitatem, ab *alliteratione coniuncta illa cum alio quodam sermonis artificio*, atque illius tantum, quam proprie dicit alliterationem, habet rationem in sua disputatione. Excludit igitur diserte annominationem, quam diximus, et verborum sive eorundem sive cognatorum consociationem, quippe manifesto plerumque lusu sive acumine factam. *) Quom vero horum, quae Naekius excludit, alliterationis generum exempla apud Horatium pauca tantum reperiantur, eaque fere omnia mero alliterationis amore nata esse videantur, equidem excludenda ea non censui.

Sed priusquam ad singula exempla enumeranda transeam, classes quaedam alliterationis erunt constitnendae. Naekius haec statuit quattuor genera. Fit allitteratio:

- I. Primis litteris, primis syllabis.
- II. In una postrema et altera prima syllaba.
- III. In mediis vocibus.
- IV. In postremis syllabis, quod homoeoteleuton dici solet.

Endreim zu verbinden.“ In huius rei exempli afferimus finem carminis a Wachtero in nostram linguam translati:

„**W**ären mir noch **B**ünden-Pfeile,
Sohl würde mir zu Theile,
Dass mir der **G**ischfeind (Seehund) siele
In der **U**lme **G**alkenspiele (durch Pfeilschüsse).

Eiusdem generis est notum illud proverbium:

Glück und **G**las, wie **H**ald **H**richt das.

in quo eodem modo coniuncta sunt homoeoteleuton atque allitteratio, quae sit primis litteris.

*) Hoc, quod attinet ad eorundem verborum consociationem, alliterationis genus nuper accurate tractavit *Paldamus* in commentatione, qua indicit Solemnia scholae Gryphiswaldensis a. 1836. quaeque inscribitur: de repetitione vocum in sermone Graeco ac Latino. Duo ille statuit repetitionis genera, alterum necessarium, alterum quaesitum, necessarium autem repetitionem triplicem esse dicit, aut gravitatis et ornatus, aut perspicuitatis, aut simplicitatis.

Wolffius addidit etiam duo genera, quod vereor, ne parum accurate fecerit. Quod enim tertio loco addidit: „in prima et postrema syllaba“ i. e. in prioris vocabuli prima et alterius, quod sequitur, postrema syllaba, id genus iam secundo eorum, quae Naekius statuit, genere continetur, ut videre licet ex hoc, quod ibi legimus, exemplo: *tum multuoso sonitu* Plant. Trin. v. 2. 52. Exemplorum huius generis a Wolffio allatorum huc pertinet primum tantum: *nam item obicit diem*, daorum, quae addidit, exemplorum alterum *onus-tus fustibus* tertio, quod est apud Naekium et quarto, alterum *ad illam illexit* primo generi annumerandum est. Quod vero ultimo loco addit Wolffius: „aut denique in versum initio, medio et fine, vel in priori et posteriori membro“, id ab alliterationis generum ratione plane alienum et nihil est, nisi accuratior explicatio unius alliterationis generis.

Itaque praeferranda omnino Naekii partitio, cui, quum secundo generi addat postea: vel etiam in una prima et litteris vocis alterius mediis, ut omnia complecteretur, fortasse hoc tantum addendum fuit: in una postrema et litteris vocis alterius mediis, quale est Hor. II. 31. 32: *Syra reparata merce*, ubi est allitteratio in prioris vocabuli postrema et vocis alterius prima, media et postrema syllaba, quamquam ei, quae fit in postremis syllabis, allitterationi hoc loco non multum est tribuendum ob a productum in priore, correptum in altero vocabulo.

Sed quum omnis huius alliterationis, quae non sit primis aut postremis syllabis, pauca tantum existent exempla atque in iis nonnunquam etiam unum et alterum genus coniuncta reperiantur, vel etiam ita, ut dubitare liceat, utrum ad hoc an ad illud rectius referas: haec, quantum quidem ad Horatium attinet, coniungenda atque in unum redigenda duxi. Propterea statuo tria genera, respondentia fere illa Germanorum cognitarumque gentium tribus, quae a nonnullis statuuntur, litterarum similitudinis generibus, quae ibi vocantur:

Stabreim, Unreim, Ausreim oder Endreim *).

Fit igitur allitteratio:

I. Primis litteris, primis syllabis (Stabreim). **)

II. In postremis syllabis (Ausreim oder Endreim). ***)

*) cfr. Wachteri über supra laudatus: Snorri Sturluson's Weltkreis ic. 2. Band. Einl.

**) I. 1. pag. VI: Der Stabreim wird gebildet einmal durch Wörter, welche mit gleichen Mittlauten anfangen, z. B. Blumen = Blätter, Meiz des Ohres ic.

oder indem die Wörter mit Selbstlauten und am schönsten mit verschiedenen anfangen, z. B.:

Der Adler ist.

Neber die Flut ic.

***) I. 1. pag. XVIII: Ist das letzte Wort einsilbig, oder reimt sich, wenn es zweisilbig ist, die letzte Silbe mit, dann wird der Unreim zum Ausreim.

III. Denique quoque alio concentu, qui oritur ex earundem litterarum repetitione: vel in mediis vocibus; vel in una postrema et altera prima syllaba; vel in una prima et litteris vocis alterius mediis; vel denique in una postrema et litteris vocis alterius mediis.

www.libtool.com.cn

(Anreim, halber Anreim, Anklang oder Assonanz). *)

His ita constitutis, atque absoluta ea, quae est de alliterationis generibus, quaestione, priusquam ad afferenda exempla me accingam, alterum etiam, de quo dicam, restat; eam dico quaestionem, utrum in continuis tantum verbis, an in iis etiam, quae sunt aliquo orationis intervallo disiuncta; utrum in uno tantum eodemque versu, an in duobus etiam vel pluribus continuis locum habeat allitteratio. Non opus esse, ut continuo se excipient verba, in quibus sit allitteratio, sed posse etiam unum alterumve interiectum esse, quom omnes consentiant, qui de hac re scripserunt: de altera, quam dixi, quaestione nostrae parte, utrum etiam in duobus pluribusve versibus continuis locum habeat allitteratio necne, dubitari posse videtur. Naekias trium priorum quidem, quae ipse statuit, generum exempla ex uno tantum eodemque versa attulit, de homoeoteleuto autem ubi loquitur, etiam duorum vel trium versuum continuorum, qui homoeoteleuto concluduntur, usus est exemplis, ita tamen, ut ipse deinde ea aliena quodammodo esse a re sua significet. Putat enim homoeoteleuton, quod sit in versu uno atque in vicinis vel continuis vocibus, artius cum alliterationis generibus I, II, III, quae ipse statuit, coniunctum esse atque cognatum. Sed etiam in his, praecipue in eo, quod primo loco posuit, alliterationem non unius versus finibus circumscribendam esse equidem censem, etiam hac in re exemplo nisus Germanorum et cognatarum gentium, apud quas binos versus tribus plerumque verbis eadem littera incipientibus quasi colligatos esse, notum est. **) Eodem modo etiam apud latinos poetas, quamquam de certo quodam et constante ordine, qualis est in veterum Germanorum carminibus, minime est cogitandum, tamen in brevioribus quidem versibus quin e. g. tum alliteratio quaedam fiat, quam duo continui versus ab eadem littera incipiunt, vix est, cur dabitemus. Maximam vero vim habet allitteratio, quae sit in pluribus continuis versibus tum, quam coniuncta est cum alliteratione ea, quae sit in uno eodemque versu, quale est e. g. Carm. II. 12, 1, 2:

*) I. l. pag. XVIII. Die Eigenthümlichkeit des Anreims besteht darin, daß die letzte Silbe sich nicht mitreimt, z. B. *sund Eikunda*. (pag. XV.) Röthete der Könige — Röth'ger, hier macht das öth in Röthete und Röth'ger den ganzen Anreim. Das ö in Könige macht zugleich eine Assonanz oder Anklang, aber keinen halben Anreim. (pag. XVII.) Halbe Anreime nennen wir nemlich, wenn sie durch gleiche Mitlaute ohne gleiche Selbstlaute, und Anklänge, wenn sie durch gleiche Selbstlaute ohne gleiche Mitlaute gebildet werden, oder das, was z. B. in den spanischen Liedern und Schauspielen Assonanzen heißt.

**) Exemplo iam esse possunt loci quidam, supra allati, in quibus singularem illam veteris linguae germanicae et cognatarum indolem elegantissime imitatus est Wachter cfr. etiam, si placet Buddei commentatio, qua indicit probationem iuventutis litterariam in Gymn. Coesfeldensi a 1888, quaeque inscribitur: Ueber die Vereinigung der Geschichte der deutschen Sprache mit der deutschen Litteraturgeschichte der ältern Zeit an Gymnassen pag. 19.

*Nolis longa ferae bella Numantiae.
Nec durum Hannibalem nec Siculum mare.*

Carm. II. 6, 7, 8. www.libtool.com.cn

*Perfidum votis caput enitescis,
Pulchrior multo iavenumque prodis
Publica cura.*

Quibus in versibus praeterea tria illa, quae statui, allitterationis genera coniuncta reperiuntur. Sed ne ex omnibus eclogis avide conquisivisse, neve nimis multa coacervasse videar exempla, in enumerandis illis ita versatus sum, ut e primo tantum Horatii Carm. libro allitterationis exempla, quae mihi esse viderentur, colligerem. Qua in re nonnulla me omissem, nonnulla etiam protalissem, quae alii huc non pertinere iudicabant, mihi persuasissimum est. Difficile est enim, ut iam saepius monitum est, huius rei fines certos constituere, quam unum idemque saepe uno loco ad allitterationis exempla referendum esse, altero non esse videatur.

I. Primi generis exempla ex Horatii Carm. libro I haec mihi annotavi, praeeunte Naekio, ordinem secutus litterarum, aliam quandam distinctionem et distributionem singulorum huius generis locorum, quam facere liceat, exemplis enumeratis prolatorus.

A. 1, 12: *Agros Attalicis.* 2, 32: *Augur Apollo.* 2, 42: *Ales in terris imitaris almae.* 7, 24: *Adfatus amicos.* 9, 15: *Adpone: nec dulces amores.* 22, 18: *Arbor aestiva recreatur aura.* (II.) *) 23, 9: *Atqui non ego te, tigris ut aspera.* 25, 8: *Anus arrogantes.* 28, 9: *Arcanis — admissus.* 29, 10: *Arcu paterno quis neget ardais.* 31, 6: *Armenta non aurum aut ebur Indicum **).* 31, 8: *Mordet aqua tacitarnas amnis.* 83, 11: *Atque animos sub iuga aenea.* 35, 15: *Ad arma cessantes, ad arma.*

E. 34, 8: *Egit equos.* 35, 31: *Examen Eois.*

I. 7, 82: *ingens iterabimus aequor.* 17, 26: *Incontinentes iniiciat.* 27, 6: *Immane quantum discrepat! Impium.* (II.) 27, 16: *Ignibus ingenuoque.*

O. 15, 3: *Obruit otio.*

U. 16, 18: *Urbibus ultimae.*

C. 1, 27: *Catalis cerva ***).* 2, 34: *Quam iocus circumvolat et cupido.* (III.) 8, 16: *Calitus in caedem et Lycias proriperet catervas* (II et III). 16, 2: *Criminosis cunque.*

*) Coniuncta sunt in hoc versu primum et secundum, quod statui, allitterationis genus, id quod multis locis, qui deinde afferentur, reperies, quodque significavi addito (II); eodem modo tertium genus ubi cum hoc primo coniunctum est, hoc addito (III) notavi.

**) Pluribus continuis vocalibus, quamquam diversis, allitterationem tamen quandam effici, quippe quae auro percipiatur, non oculo, supra annotatum est. cfr. p. 7.

***) De horum verborum allitteratione erunt fortasse qui dubitent, cogitantes de diversa, qua nos uti solemus, litteram c pronuntiandi ratione. Veteres autem hanc pronuntiandi diversitatem nesciebant ab iisque c in utroque verbo supra allato eodem modo pronuntiabatur cfr. C. L. Schneideri Gramm. I, 1, p. 243 sq.

- 33, 16: *Curvantis Calabros.* 35, 18: *Clavos trabales et cuneos.* 36, 10: *Cressa ne careat.* 37, 6: *Cellis avitis, dum Capitolio (II).* 37, 10: *Contaminato cum.*
- D.* 1, 2: *Dulce decus.* 1, 6: *Terrarum dominos evehit ad deos.* (II) 1, 20: *Solido demere de die.* (III) 9, 14: *Dierum — dabit.* 11, 2: *Di dederint.* 18, 3: *Dura deus.* 21, 1: *Dianam tenerae dicite virgines.*
- F.* 4, 10: *Aut flore terrae, quem ferunt solutaे (II).* 9, 15: *Dissolve frigus ligna super foco.* 14, 2: *Fluctus, o quid agis fortiter occupa.*
- H.* 15, 2: *Idaeis Helenam perfidus hospitam (II).*
- L.* 2, 37: *Heu nimis longo satiate ludo (II).* 19, 3: *Lasciva licentia (II).*
- M.* 1, 14: *Myrtoum pavidus nauta secat mare.* 1, 16: *Mercator metuens otium et oppidi.* 7, 19: *Molli, Plance, mero: seu te fulgentia signis.* 12, 46: *Fama Marcelli micat (III).* 13, 5: *Tunc nec mens mihi nec color.* 15, 6: *Multo — milite.* 17, 13: *Di me tuentur, dis pietas mea.* 18, 2: *Circa mite solum Tiburis et moenia Catili.* 22, 19: *Quod latus mundi nebulae malusque.* 25, 18: *Magis atque myrto.* 26, 1: *Musis amicus tristitiam et metus (II).* 23, 27: *Plectantur silvae te sospite multaque merces.* 31, 16: *Me — malvae.* 36, 13: *Neu multi Damalis meri (II).* 37, 14: *Mentemque lymphatam Marcotico.*
- N.* 2, 35: *Neglectum genus et nepotes.* 14, 1: *O navis referent in mare te novi.*
- P.* *Pauperiem pati.* 2, 7: *Proteus pecus.* 2, 50: *Pater atque Princeps.* 3, 39: *Per nostrum patimur scelus.* 4, 13: *Pallida mors aequo pulsat pede panperum tabernas.* 7, 30: *Peioraque passi.* 10, 10: *Per dolum amotas, puerum minaci.* 12, 38: *Prodigum Paulum, superante Poeno.* 14, 11: *Pontica pinus.* 14, 14: *Nil pictis timidus navita puppibus (II).* 15, 1: *Pastor cum traheret per freta navibns.* 16, 1: *O matre pulchra filia pulchrior.* 16, 13: *Fertur Prometheus addere principi.* 18, 6: *Te potius, Bacche pater (III).* 18, 16: *Prodiga perlucidior.* 19, 14: *Pueri ponite.* 22, 17: *Pone me pigris.* 22, 21: *Pone sub curru niunium propinqui.* 28, 3: *Pulveris exigui prope littus parva.* 28, 6: *Percurrisse polam.* 29, 11: *Pronos relabi posse rivos (II).* 34, 7: *Plerumque per purum.* 35, 13: *Pede proruas.* 38, 1: *Persicos odi, puer, adparatus (III).*
- Q.* 11, 1: *Tu ne quaesieris, scire nefas, quem mihi, quem tibi (II).*
- R.* 1, 17: *Laudat rura sni; mox reficit rates.* 37, 7: *Règina dementes ruinas.*
- S.* 1, 36: *Sublimi feriam sidera vertice.* 4, 12: *Seu poscat agna, sive malit haedo.* 7, 17: *Sic tu sapiens.* 9, 20: *Sub noctem susurri.* 22, 9: *Namque me silva lupus in Sabina.* (II) 27, 9: *Vultis severi me quoque sumere.* 27, 21: *Quae saga, qui te solvere Thessalis.* 31, 4: *Sardiniae segetes.* 32, 1: *Poscimur, si quid vacni sub umbra.*
- T.* 1, 8: *Certat tergeminis tollere honoribus (III).* 2, 49: *Tollat; bic magnos potius triumphos (II).* 6, 13: *Quis Martem tunica tectum adamantina (III).* 7, 4: *Thessala Tempe.* 7, 27: *Nil desperandum Teucro duce et auspice Teucro (II).* 8, 8: *Cur timet flavum Tiberim tangere? Cur olivum (II).* 8, 14: *Filiqm dicunt Thetidis sub la-*

crimosa Troiae. 21, 9: *Tempe totidem tollite laudibus.* 23, 9: *Te Tigris.* 26, 5: *Teridatem terreat.* 26, 12: *Teque tuasque.* 27, 2: *Pugnare, Thracum est, tollite barbarum* (II). 27, 23: *Te triformali.* 30, 3: *Tare te.* 35, 9: *Te Dacus asper, te profugi Scythaes.*

V. 4, 1: *Vice veris et Favoni.* 7, 31: *Viri — vino.* 18, 1: *Nollam, Vare, sacra vite prius severis arborem.* 33, 10: *Sic visum Veneti.*

Inter locos modo allatos plura etiam reperies eius alliterationis exempla, quae a Naekio *implicata* s. *alternans* (Germanice *verschlüngener Stabreim*) nominata duplex esse potest, ut appareat ex hisce Naekii exemplis: *amor lassum animi ludificat* (a. l. a. l.); *tristis, durus, difficilis, tenax* (t. d. d. t.). Prioris generis sunt

I. 29, 11: *Pronos relabi posse rivos* (p. r. p. r.).

14, 2: *Fluctus? o quid agis? fortiter occupa* (f. o. f. o.).

17, 13: *Di me tuentur: dis pietas mea* (d. m. d. m.).

36, 18: *Deponent oculos; nec Damalis novo* (d. n. d. n.); denique

27, 21: *Quae saga, qui te solvere Thessalis* (qu. s. qu. t. s. T.).

Alterius generis sunt

I. 2, 42: *Ales in terris imitaris almae* (a. i. i. a.).

10, 15: *Thessalosque ignes et iniqua Troiae* (t. i. i. t.).

18, 2: *Circa mite solum Tiburis et moenia Catili* (c. m. m. c.).

13, 5: *Tunc nec mens mihi, nec color* (n. m. m. n.); denique

23, 9: *Atqui non ego te tigris ut aspera* (a. t. t. a.) *).

Duorum pluriumve versuum nonc quidem ea tantum afferam exempla, ubi alliterationis, quae fit in illis, vis augetur alliteratione, quae fit in singulis versibus, quare hos antea non commemoravi; his igitur plurimum tribuendum esse puto.

Carm. I. 2. 22, 23: *Quo graves Persae melius perirent*

Audierit pugnas vitio parentum.

3. 1, 2: *Sic te Diva potens Cypri*

Sic fratres Helenaec lucida sidera. (II.)

3. 11, 12: *Commisit pelago ratem*

Primus nec timuit praecipitem Africum.

3. 23, 24: *Terras si tamen impiae*

Non tangenda rates transsiliant vada. (II.)

8. 3, 4: *Perdere? cur apricum*

Oderit campum patiens palveris atque solis? (II et III.)

*) Communis est linguae latinae haec etiam implicata allitteratio cum Islandica lingua, qua de re cfr. Wachter I. I. p. X sq. qui ita eam imitatus est:

Quellst mit Gmir's Blute

Quasir's Oderbrunnen.

9. 2, 3: *Soracte nec iam sustineant onus
Silvac laborantes geluque.*
 www.9.lib13.vol14m.cn
 Quid sit futurum *cras fuge quaerere: et
Quem fors dierum cunque dabit Incro.*
10. 7, 8: *Callidum quidquid placuit iocoso
Condere farto. (II.)*
12. 46, 47, 48: *Fama Marcelli micat inter omnes
Iulium sidus, velut inter ignes
Luna minores.*
12. 55, 56: *Sive subiectos Orientis orae
Seras et Indos. (II.)*
13. 1, 2: *Com tu Lydia Telephi
Cervicem roseam cerea Telephi. (II.)*
15. 9, 10: *Eheu quantus equis, quantus adest viris (II.)
Sudor! quanta moves funera Dardanae.*
16. 25, 26: *Misit furentem: nunc ego mitibus
Mutare quaero tristia; dum mihi.*
18. 7, 8: *At ne quis modici transsiliat munera Liberi (II.)
Centaurea monet cum Lapithis rixa super mero.*
18. 13, 14: *Sub divum rapiam. Saeva tene cum Berecyntio
Cornu tympana, quae subsequitur caecus amor sui.*
21. 14, 15: *Pestemque a populo principe Caesare in
Persas atque Britannos.*
22. 5, 6: *Sive per Syrtes iter aestuosas
Sive factorus per inhospitalem.*
24. 2, 3, 4: *Tam cari capit? Praecipe lugubres (III.)
Cantus, Melpomene, cui liquidam Pater
Vocem cum cithara dedit.*
25. 5, 6: *Quae prius multum facilis movebat
Cardines. Audis minus et minus iam.*
28. 11, 12: *Demissum quamvis clypeo Troiana refixo (II.)
Tempora testatus, nihil ultra.*
36. 15, 16: *Neu desint epulis rosae
Neu vivax apium neu breve lilyum. (II.)*
36. 18, 19: *Deponent oculos nec Damalis novo
Divelletur adultero. (II.)*

Praeterea quattuor versus ab eadem littera incipientes reperies: Carm. I. 20, 2, 3, 4, 5; tres versus ab eadem littera vel syllaba incipientes: Carm. I. 3, 17, 18, 19. — 12.

19, 20, 21. — 12. 57, 58, 59. — 36. 11, 12, 13. — 38. 4, 5, 6; denique duos versus ab eadem littera vel syllaba vel etiam voce incipientes permultis locis.

www.libtool.com.cn

Aliam quandam horum, quae modo protuli, allitterationis exemplorum distributionem, quam facere liceat, repeti posse puto de loco, quem tenent in versu verba, quibus sit allitteratio. Huius rei ratione habita, I generis exempla in has distribui possunt quinque classes. Fit allitteratio I generis

- 1) In continuis vocibus. Huius classis plurima sunt exempla atque in iis maxima etiam inesse solet vis, praecipue si sit in tribus verbis continuis e. g. II, 10, 21:

Rebus angustis animosus atque etc.

- 2) In primo et ultimo totius versus vocabulo, qualis est versus I, 1, 14:

Myrtonum pavidus nauta secet mare.

- 3) Hemistichiis ab eadem littera incipientibus e. g. 1, 36:

Sublimi feriam sidera vertice.

- 4) Ultimis hemistichiorum verbis ab eadem littera incipientibus e. g. 1, 6:

Terrarum dominos evicit ad deos;

cuins allitterationis vis hoc loco, ut saepius, valde augetur propter accedens homoeoteleuton.

- 5) Denique in duobus pluribusve versibus continuis.

Quae uni harum quinque classium adnumerari nequeant, paucissima restare puto exempla.

II. De secundo allitterationis genere s. *homoeoteleuto* veteres ubi loquuntur, plerumque eorum tantum mentionem faciunt verborum, quae in binis syllabis habent homoeoteleuton et propterea faciliora sunt ad observandum, cuius generis est Hor. Carm. I. 34, 4:

Vela dare atque iterare cursus,

vel in quibus etiam ultra duas syllabas procedit homoeoteleuton. Sed etiam illud, quod sit in una syllaba, magno esse posse ad aures pondere, ex exemplis deinde afferendis satis apparebit. Imo ne id quidem plane negligendum esse, quod sit in una consonante, recte monuit Naekius, qui exemplum assert ex Hor. Carm. I. 1:

Maecenas atavis edite regibus,

quo in versu homoeoteleuton fieri littera s, colligi etiam potest ex manifesto veterum poetarum amore, eos locos, quibus ordines terminantur metri, hemistichia maxime, homoeoteleuto concludendi. Hac homoeoteleuti specie Horatius permultis locis usus est, frequentissime autem in metro Asclepiadeo primo, quod vocatur. Ita in solo primo primi libri carmine praeter eos sex versus, in quibus sit homoeoteleuton una tantum consonante, novem reperies huius speciei exempla, id quod testimonio nobis esse potest, non excidisse talia Horatio, quippe *qui nil molitur in epte*, quasi invito, sed revera audientibus gratiae aliquid habere visum esse, cum eiusdem versus hemistichia homoeoteleuto sibi in-

ter se responderent. Quare etiam in reliquis carminibus Horatius hac specie saepissime usus est, rarius tantum, si cum ceteris comparas, in carminibus metro Alcaico conscriptis.

www.libtool.com.cn
Praeter hanc speciem, longe illam frequentissimam, veteres poetae ea maxime delectati esse videntur, qua versus continui duo vel tres concluduntur homoeoteleuto, cuius speciei idem Horatius non pauca praebet exempla e. g. Carm. I. 9. 7, 8:

Deprome quadrum Sabina,
O Thaliarche, merum diota.

Tres versus homoeoteleutos reperies Carm. I. 2. 13, 14, 15:

Vidimus flavum Tiberim, retortis
Littore Etrusco violenter undis,
Ire deiectum monumenta regis.

Denique quattuor etiam, quorum primus iam antea est commemoratus, quaque cuiusque generis alliteratione perstrepunt:

Oderit campum patiens polveris atque solis
Cur neque militaris
Inter aequales equitat Gallica nec lupatis
Temperat ora fracnis?

Praeterea in continuis duobus versibus hoc etiam observandum est homoeoteleton, quem prius hemistichium utriusque versus eodem modo terminatur. e. g. I. 2. 46, 47:

Laetus intersis populo Quirini,
Neve te nostris vitiis iniquum.

Haec species cum praecedente coniuncta reperitur Carm. I. 1. 18, 19:

Quassas indocilis pauperiem pati
Est qui nec veteris pocula Massici.

tum etiam II. 17. 21, 22: Utrumque nostrum incredibili modo
Consentit astrum. Te Iovis impio.

Hoc homoeoteleton *implicatum s. alternans* (is, i, is, i; um, o, um, o;) dicere licet eodem iure, quo antea e. g. *pronos relabi posse rivos* alliterationem implicatam s. alternantem diximus. Eiusdem generis sunt versus, qui leguntur Carm. I. 12. 33, 34:

Romulam post hos prius, an quietum
Pompili regnum memorem, an superbos

(os, um, um, os,) quod homoeoteleton respondet huic, quo antea usus sum, allitterationis implicatae exemplo: *Thessalos ignes et iniqua Troiae*.

Tum etiam in continuis duobus versibus fit homoeoteleton quoddam in extremo priore, medio altero verso, quale est Carm. I. 1. 16, 17:

Mercator metuens otium et oppidi
Laudat rura sui. *)

www.libtool.com.cn

Minoris momenti esse videtur homoeotelenon, quod fit in medio priore, extremo altero versu, nimio illud intervallo disiunctam e. g. Carm. I. 1. 20, 21:

Nec partem solidō demere de die
Spernit, nunc viridi membra sub arbuto.

In uno eodemque versu praeter illud, quod fit in medio et extremo versu, cuiusque antea mentionem feci, praecipue id observandum esse pato homoeotelenon, quod fit in continuis vocibus vel ut unum tantum intercedat verbum e. g. Carm. I. 2. 1:

Iam satis terris nivis atque dirae.

Quamquam huic exemplo non multum tribuam ob syllabam *is* in *terris* plane alio modo pronuntiatam, atque in *satis* et *nivis*, id quod recte monet Vossius Instit. Orat. I. V. c. V. 2. Est tamen quoddam homoeotelenon in consonante *s* ter repetita. Denique non negligendum esse videtur homoeotelenon, quod fit in primo et extremo eiusdem versus vocabulo, quale est e. g. 3, 35:

Pennis non homini datis.

Has igitur diversas homoeoteleni species si comprehendere velimus, hae fere erant.
Fit homoeotelenon:

- A. In continuis duobus versibus, et quidem;
 - a) In fine utriusque versus,
 - b) In medio utroque versu,
 - c) In fine prioris versus, medio altero,
 - d) In medio priore versu, et fine alterius,
- B. In uno eodemque versu, et quidem;
 - a) In medio et extremo versu,
 - b) In continuis vocibus,
 - c) In primo et ultimo versus eiusdem vocabulo,

Huius generis exempla quanto numero apud Horatium existent, inde iam colligi posse pato, quod in primo tantum primi libri carmine, ut antea monui, quindecim reperiantur unius homoeoteleni speciei exempla, atque in reliquis etiam carminibus quamquam non tanto, tamen satis magno numero. Quae si omnia proferre vellem, vix videretur esse enumerandi finis. Itaque, locis supra ad I genus allatis cum plura iam contineantur, quae huc etiam referri possint exempla, designata illa addito (II), illis nunc ea tantum addam,

*) Hoc homoeotelenon quodanmodo imitatus est Gehlen in translatione metrica, quae prodiit ex officina, quae hic floret, Baedekeriana:

Zagt der Händler, und Ruh' lobt er und Adersfeld
Seines Städtchens: im Nu bessert das leide Schiff ic,

in quibus maior quaedam mihi iuicisse videtur vis, vel quia plures in iis homoeoteleni species coniunctae sunt, vel quia aliud etiam accedit alliterationis genus.

A. In continuis duobus versibus

- Carm. I. 1. 2, 3: *O et praesidium *) et dulce decus meum
Sunt quos curriculo pulverem Olympicum.*
1. 4, 5: *Collegisse iuvat metaque servidis
Evitata rotis palmaque nobilis.*
4. 17, 18: *Et domus exilis Plutonia: quo simul mearis
Nec regna vini sortiere talis.*
5. 1, 2: *Quis multa gracilis et puer in rosa
Perfusus liquidis urgnet odoribus.*
7. 27, 28: *Nil desperandum Teucro duce et auspice Teucro
Certus enim promisit Apollo.*
8. 11, 12: *Brachia, saepe disco,
Saepe trans finem iaculo nobilis expedito?*
9. 22, 23: *Nunc et latentis proditor intimo
Gratus puellae risus ab angulo.*
12. 7, 8: *Unde vocalem temere insecurae
Orpheus silvae.*
14. 17, 18: *Nuper sollicitum quae mihi taedium,
Nunc desiderium curaque non levis.*
15. 15, 16: *Imbelli cithara carmina divides:
Ne quidquam thalamo graves.*
15. 17, 18: *Hastas, et calami spicula Gnosii
Vitabis strepitamque et celerem sequi.*
16. 7, 8: *Non Liber aeque non acata
Si geminant Corybantes aera.*
21. 7, 8: *Nigris aut Erymanthi
Silvis aut viridis Cragi.*
21. 11, 12: *Insignemque pharetra
Fraternaque humerum lyra.*
22. 23, 24: *Dulce ridentem Lalagen amabo;
Dulce loquentem.*

*) Verba *praesidium* et eo modo pronuntianda esse, quo hodie fere solent, ut *um* syllaba plane non percipiatur auribus, mihi persuadere non possum. Rectam talia pronuntiandi rationem docere nos videntur, qui talem litteris consignabant linguam, qualis in pronuntiando audiebatur, Comicos dico; cfr. de hac re C. L. Schneideri Gramm. I. 4. p. 163 sq. et Osann in libro, qui inscribitur: *Zeitschrift für Alterthumsk. IV. Jahrg. I. p. 56.*

24. 5, 6: Ergo Quinctilium perpetuus sopor
Urguet! cui Pudor et Iustitiae soror.
24. 9, 10: Multis ille bonis flebilis occidit:
Nulli flebilior, quam tibi, Virgili.
29. 15, 16: Mutare loricis Iberis,
Pollicitas meliora, tendis?
31. 15, 16: Impune. Me pascant olivae,
Me cichorca levesque malvae.
32. 2, 3: Lusimus tecum, quod et hunc in annum
Vivat et plures: age dic Latinum.
35. 3, 4: Mortale corpus, vel superbos
Vertere funeribus triumphos.
35. 36, 37: Liquimus? unde manum iuventus
Metu deorum continuit? quibus.
37. 19, 20: Venator in campis nivalis
Haemoniae daret ut catenis.
37. 27, 28: Tractare serpentes, ut atrum
Corpore combiberet venenum.

B. In singulis versibus

- Carm. I. 1. 7: Hunc si mobilium turba Quiritium.
1. 22: Stratus nunc ad aquae lene caput sacrae.
1. 24: Permistus sonitus bellaque matribus.
2. 6: Saeculum Pyrrhae nova monstra questae.
3. 8: Et serves animae dimidium meae.
4. 4: Nec prata canis alblicant pruinis.
12. 5: Aut in umbrosis Heliconis oris.
12. 41: Hunc, et incōm̄tis Curium capillis.
12. 45: Crescit, occulto velut arbor aeo.
12. 54: Egerit iusto domitos triumpho.
31. 13: Dis carus ipsis; quippe ter et quater etc.

III. Tertii, quod statui, generis pauca tantum e primo Carminum libro annotata habeo exempla; ea tamen ut saepissime coniuncta sunt cum primo et secundo genere, ita etiam in locis a me antea ad I et II genus allatis huius generis non pauca reperies exempla. Quadruplex esse hoc genus, iam antea significavi; fieri enim potest huius generis allitteratio:

- 1) In mediis vocibus.
- 2) In una postrema et altera prima syllaba.
- 3) In una prima syllaba et litteris vocis alterius mediis.
- 4) In una postrema syllaba et litteris vocis alterius mediis.

Ad secundam speciem quod attinet, non opus esse, ut prius inter se conspicient syllaba vocis prioris postrema et vocis alterius prima, audiri alliterationem, etiam si differat aliquid inter vocales, quum recte moneat Naekios, qui exemplum assert ex Virg. Aen. *aere r uebant*, tamen quae Wolffius laudat huius generis exempla: *Contra factum; occipitio quoque; semina manum* etc. ad meas quidem aures neque hoc sunt referenda, neque ad aliud alliterationis genus. Ceterum diversum in diversis locis de hoc genere potest esse iudicium; ita quae eadem consonante finiantur et incipiuntur vocabula, quae se excipiunt, id quamquam plurimis locis vix animadvertis, nonnunquam tamen non sine vi quadam fieri videtur e. g. Epist. II, 3, 260:

In scenam missos cum magno pondere versus,

quo in versu depingit Horatius non solum spondeis, sed etiam, nisi egregie fallor, reperita consonante *m magnum* illud *pondus*, quo cum in scenam mittuntur versus Enniani; valde enim minui illam vim, si pro *cum magno pondere legas*: *magno cum pondere*, quemque sentire arbitror. Praeterea studii cuiusdam Romanorum, vocabulum eadem litera terminandi, qua incipit alterum, quod sequitur, testimonio etiam nobis esse potest *assimilatio*, qua saepius utuntur in fine prioris atque initio alterius verbi, praeceps in inscriptionibus e. g. *contumelian nec pro contumeliam nec*, quod commemorat Osann l. l. p. 54.

Praeter ea, quae iam continentur primi et secundi generis exemplis, huius generis haec sunt, quae facili negotio augeri posse puto, quippe quae faciliter oculos fallant, quam aures.

Carm. I, 1, 26: *Venator tenerae*. 1, 28: *Marsus aper plagas*. 1, 30: *Dis miscent*. 2, 2: *Grandinis misit*. 2, 3: *Dextera sacras iaculatus arces*. 2, 5: *Grave ne rediret*. 2, 13: *Tiberim retortis*. 2, 26: *Imperi rebus*. 2, 30: *Iupiter tandem*. 3, 2: *Lucida sidera*. 3, 31: *Incubuit cobors*. 14, 9: *Integra linteae*. 28, 15: *Omnes una manet nox*. 28, 36: *Iniecto ter*. 29, 12: *Tiberim reverti* *). 33, 13: *Ipsam me melior*. 35, 25: *Et meretrix retro*; denique ut unum etiam addam e secundo libro exemplum, satis illud conspicuum atque sonorum, II, 1, 36: *Quae caret ora crux nostro*.

Sed haec hactenus. Restat, ut de ea quaestione pauca addam, quam iam veterem esse constat, utrum *dedita opera*, an *casu natam alliterationem dicamus*; nam in exemplis modo allatis aliquid inesse artificii putemus, an *operae ceteris nimium curaque currentis premantur criminis*. Horationem quidem cuiusque generis alliterationem non modo non evitasse, sed magnopere etiam ea delectatum esse, quippe quam abundantibus gratam esse sciret, quum ex omnibus, quae protuli e primo Carm. libro, exemplis, tum *imprimis*

*) Duplex inest in his verbis allitteratio, quam vix animadvertis primo aspectu, in syllaba *ti*, qua incipit unum, terminatur alterum; et syllaba *rim*, qua terminatur prius, et *re*, qua incipit alterum vocabulum.

e primo eiusdem libri carmine facile intelligi posse pnto. Hoc enim carmen, quod iam antea perstrepere dixi alliterationis exemplis, ab Horatio compositum, ut praefationis sive dedicationis loco esset, verisimile est, ab eo non sine magna quadam diligentia esse elaboratum, ut dignum esset, quod priorum trium librorum diceret agmen. *) Attamen vel talia sectatum esse Horatium, vel certas eius animo obversatas esse alliterationis leges, quales agnoscimus e. g. in veterum Germanorum poesi **), post ea, quae antea hic illic monui, nemo erit, qui credat. Tribuendum esse illud alliterationis studium ipsius sermonis latini naturae, satis inculenter demonstravit Naekius, qui et ipse alia huic generis sponte venisse scribentibus et cum venissent, accepta esse cupide; alia non animadvertisenti sese obtulisse censem. ***) Nonnullis autem in locis, quos antea accuratius descripsi, tam constantem reperimus alliterationis usum, ut veram inde nonnunquam loci cuiusdam lectionem constitui posse, persuasum habeam. Ita e. g. in Horat. Carm. II. 3. 13, 14. cum vulgata lectio sit:

Hunc vina et unguenta et nimium breves

Flores amoena ferre iube rosae.

cum homoeoteko apud Horatium usitatissimo, Iani preferendam esse putat lectionem: *breviis — Flores amoenos*; et quidem praecipue, ut videtur, motus *ingratissimo*, ut dicit, homoeotelento; ego vero vulgatam, quae praeterea aptiorem etiam praebere videtur sententiam, iam ob ipsum illud, quod equidem *gratissimum* dixerim, homoeoteleton preferendam esse putaverim.

De alliterationis vi illis, quae Naekius scripsit de hac re, nihil habeo, quod addam. Spectat per se tota ad aurium voluptatem; quantam autem nonnunquam eadem habeat *ad sententiam* vim, cum multis aliis Horatii locis probatur, tum e. g. Carm. II, 1, 17 sq.:

*) Neminem enim accessurum esse puto ad hanc Bentleii de hoc carmine sententiam: „Vereur equidem, si certa hic est Librariorum fides, ne non ex Pindari sui praecepto πρόσωπον τηλετές, non purpureum qui late splendeat, sed vilem sordidumque panniculum Noster assurrit“

**) cfr. Budde l. l. p. 20, qui has statuit alliterationis leges:

- 1) Je zwei Zeilen gehören zusammen und werden durch drei Wörter mit denselben Anfangsbuchstaben gebunden.
- 2) Zwei von diesen Wörtern (Nebenstaben genannt) müssen in der ersten Zeile, das dritte (Hauptstabe) in der zweiten Zeile vorkommen. Zuweilen findet sich in der ersten Zeile nur ein Nebenstabe.
- 3) Alle Reimstaben müssen betonte Silben anfangen; Vorsilben werden nicht gerechnet.
- 4) Bei Vocalallitt. steht man verschiedene Vocale; bei Consonanten hingegen völlige Gleichheit.
- 5) Alliteration und Gedanke durchschneiden sich.

***) cfr. etiam: Bericht über das Königliche Pädagogium zu Halle u. s. w. (Voran Übersetzungs- und Erklärungsproben von Dr. Moriz Seyffert.) p. 41: „Dergleichen sprachliche Erscheinungen (Homöotek. u. s. w.) sind nicht zufälliger Art, aber eben so wenig aus kalter Berechnung herzuleiten; sie sind vielmehr das Ergebnis eines feinen Gefühls, das durch lange Übung und Reflexion, durch allseitige Durchdenkung der sprachlichen Mittel gewonnen ist: sie lösen sich im rechten Augenblicke unwillkürlich von der Seele los ic.“

*Iam nunc minaci murmure cornuum
 Perstringis auris: iam litui strepunt:
 www.libtool.com.cn Iam fulgor armorum fugacis
 Terret equos equitumque voltus.*

Cuinam autem trium illorum alliterationis generum maximam vim inesse possemus, si quis quaerat, ad plurimorum aures maximo plerumque pondere homoeoteleton esse possem, quippe quod maxime consentiat cum recentiorum populorum poesis artificio *), praecipue illud, quod fit in binis syllabis. Apud Romanos autem primi et tertii generis alliterationem maiorem vim habuisse, verisimile est, quia apud eos in ultima verborum syllaba nunquam positus erat sonus s. accentus, qui vocatur, et multae ultimae litterae ita pronuntiabantur, ut vix audirentur; cfr. C. L. Schneider. Gramm. I. 1. p. 153 et 301.

Singularum litterarum ad alliterationem usum si spectamus, is apud Horatium ut apud eos, quos commemorat Naekius in universum par fere esse videtur; respondet enim fere multitudo alliterationis exemplorum, quae fiunt in singulis litteris, numero verborum, quae ab his litteris incipiunt. Neque hoc dicere ausim, quibusdam litteris per se maiorem inesse ad percutiendas aures vim, quam aliis, quamquam haec diversa esse potest diversis locis; cfr. qui subtilius de hac re egit, G. I. Vossius Inst. Orat. IV, 4 sq. in quibus quamquam multa sunt non satis certa, nonnulla tamen nostris etiam exemplis confirmantur. Ita, ut unum tantum afferam exemplum, cum initio secundi lib. I carminis:

*Iam satis terris nivis atque dirae
 Grandinis misit Pater, et rubente
 Dextera sacras iaculatus arces etc.*

si comparamus, quae Vossius dicit de litteris *a* et *i*, miramur eius observationum veritatem; dicit enim: „*a* plane sonorum est, ideoque imprimis frequentatur, quum de *rebus horridis* sermo est; *i* convenit quibusvis rebus exilibus; itaque *pluviae* penetrationem egregie exprimit Virg. etc. **)

*) Sed etiam primo et tertio alliterationis genere recentiores Germanorum poetæ felicissime non-nunquam usi sunt; cfr. Poggel I. l. p. 7 sq. et Wachter I. l. p. XIII qui hoc laudat Mohnikij, nifallor, carmen:

<i>Der du Hellas Hochgesängen Deine Lieder Lauschend weihest, Und im deutschen Dichterklang Siebst die Verse Des Benusiners.</i>	<i>Islands Lieder Lauten seltsam Unserm Ohr. Doch auch in ihnen Wöhnt des Wohlauts Wundergabe, Reichen Rhythmus Reichte Brage,</i>
-------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------	---------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------

**) cfr. eadem de re Poggel I. l. p. 45 et 46.

Distributioni singulorum ~~cuicunque generis exemplorum~~ alii, quam quae a me antea facta est, repetita illa de loco, quem tenent in versu verba, in quibus fit allitteratio, equidem arbitrer^{w. D. lib. 1. cap. 1.} apud Horatium non esse locum. Allitterationis enim, quam facit e. g. nomen substantivum cum suo adiectivo aut cum suo nomine verbum, quamquam plurima sunt exempla; tamen, si cum ceteris comparas, quae nullam sub regulam revocari possunt, non tanto sunt numero, ut eorum haberi possit ratio.

Posteris temporibus merum in lusum abiit allitterationis studium *), atque inde etiam factum esse videtur, ut multi V. D. eam improbarent, nonnulli etiam ita ea offenderentur, ut igni ferroque omnem allitterationem prosequendam censerent.

*) cfr. Voss. I. I. et Noltenii lexic. antib. p. 1618: „At aeo Neroniano sine his deliciis nihil pro diserto habebatur: quam dicendi corruptelam, aeo suo propriam, accusant Petronius et Quintilianus etc. Hinc in ipsam ecclesiam et ad tempora nostra propagati hi lusus.“ Eiusmodi lusus, ut unum cuiusque generis exemplum afferam, sunt:

- 1) *Ardor abest aestivus, adest autumnus aquosus etc.*
- 2) *Quos anguis dirus tristi mulcedine pavit,
Hos sanguis mirus Christi dulcedine lavit.*
- 3) *Te tero, Roma, manu nuda, date tela, latete.*